

sandi materia, totuplex etiam debet esse causalitas, per quam ma-
teria constituitur causa in actu secundo : Sed una & simplex
tantum est ratio causandi materiae, nempe potentia passiva. E-
una & simplex etiam sit oportet causalitas illius. Verum respon-
demus negando Majorem, quia una *potentia passiva* sufficit ad u-
tramque *causalitatem materiae*. Sie enim ratione *potentiae passi-
vae & forma* educitur ex *materia*, & eadem inesse suo à *materia*
dependet, & *compositum* sit vel producitur.

XXI.

De materia porrò unicam adhuc quæstionem examinabi-
mus; utrum scilicet *Materia* sit vera aliqua *causa*? *Materiam esse*
veram causam sufficienter probatur inde, quod ea verum & posi-
tivum influxum præbet in materiatum seu compositum. At illi
influxui nihil deest, quod ad veram causalitatem requiritur: Cui-
cunque autem convenit causalitas, id utique *causa* est. Hinc ita
datur nobis argumentari. Quicquid verum præstat influxum in
aliud, est vera *causa*. Atqui *materia* præstat verum influxum in a-
liud E. Major est clara. Minor probatur, quia *materia* primo
præstat verum iufluxum in formam *materiale*, quæ ex ipsa *ma-
teria* *potentia* educitur & non nisi à *materia* conservatur. Præ-
stat deinde *materia* quoq; influxum in ipsum compositum, quod
intrinsecè constituit. Stato ergo conclusio, *materiam esse veram*
causam. Verum negativam defendantes sequentia in acie po-
nunt argumenta (1.) Quicquid est tantum *potentia*, illud non
potest esse *causa*, atqui *materia* est tantum *potentia* E. nō potest esse
causa (2.) Per omnem *causam* possumus respondere ad quæstio-
nem proper quid. I. Phys. At per *materiam* res non dicitur esse, sed
ex *materia* (3.) *Materia* ab Aristotele sæpius dicitur non ens, non
autem apparet, quomodo non ens possit esse *causa* entis & quidem
causa intrinseca, cuiusmodi est *materia*. Antequam responde-
amus ad (1.) argumentum, sciendum est; quod aliquid possit
esse potestate vel in *potentia* dupliciter (1) in *potentia ad existentiam*,
ut actu non existat, possit tamen existere, hæc *potentia* dicitur
alias *objectiva*; hoc modo si hic sumitut falsa est tam major quam
Minor. Major quidem, quia finis est potestate, quando inten-
ditur, quo tamen non obstante finis est vera *causa*. Deinde Mi-
nor